Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Vita sancti Leonhardi conf.

Beatus igitur Leonhardus temporibus Anastasii imperatoris in provincia Galliarum claris parentibus extitit natus. Conlaterales vero Clodovei regis Francie parentes eius erant, et inter satellites palacii primatum milicie post regem habebant. Ipse autem rex Clodoveus in primordio sue etatis secundum morem gentilium fuit paganus, sed per predicationem sancti Remigii Remensium archiepiscopi ad fidem Christi conversus factus est christianus. Qui denique secundum verba testium veridicorum puerum Leonhardum suscepit de fonte ob parentum nobilium carissimum amorem. Verum autem Leonhardus postquam evasit incrementa puerilia adolescens factus iuxta consuetudinem parentele regali noluit implicari milicie, sed spiritu divino tactus potius voluit sequi archipontificis Remigii vestigia. Cuius salutaria monita non ut surdus auditor intendebat, verum ut prudens et futurus seminator in secretarium cordis audita reponebat. Nam sicut predictus pontifex beatus Remigius olim Francigenis suaserat regibus, ut tali pro honore sancirent civitatem Remensium, quicumque in vinculis seu in carceribus fuissent detenti, confestim sine impedimento dimitterentur liberi. Quod usque hodie conservatur. Si quando quippe rex Gallie ad predictam urbem divertitur, omnes ex carceribus absoluti exeunt, et ad reddendas grates obviam ei prosiliunt. Ad imitationem vero boni magistri Remigii Leonhardus bonus discipulus hoc ipsum expetiit a rege humillimis precibus, quatinus omnes qui in ergastulorum custodia detinerentur, si eos ipse voluisset visitare, omnino solverentur. Quam in rem a rege cum benivolentia impetravit, et ubicumque incarceratos esse audiebat, non piger ad eorum absolutionem totis viribus concurrebat. Sciebat enim istud verbum euangelicum: In carcere eram et ad me venistis, et quod uni ex minimis meis fecistis, michi fecistis.

Crescebat autem vehementer per totam Galliam fama eius bonitatis, propterea multi egrotantes confluebant ad eum gratia recuperande sanitatis. Quibus in nomine domini salutem reddebat, insuper eis escam carnalem atque spiritualem retribuebat. Alacris quidem erat in exhortatione, dulcis et humilis in sermone. In operatione simplex et pudicus, in promissione veridicus, in elemosinis largus atque munificus. Modestus incedere, in reddenda ratione, tenuis quoque vita et in cultu quasi non ex nobili, sed ex parvissima esset generatione. Interea dum vir dei beatus Leonhardus pugil meditaretur in lege domini die ac nocte, divulgabatur opinio eius aput universos multiplici sermone. Qua propter rex Francie ipsum ad se accersiri per honorabiles legatos fecerat. Cui et dixit: Leonharde homo dei deprecor te ut nusquam discedas; in palatio meo mecum maneas, quousque infulam pontificalem sicut dignus es a me suscipias. Erat enim clericus humilis et mansuetus. Cui sanctus Leonhardus respondit: Si secundum iura parentum meorum regibus Francie militare voluissem, optime scio bone rex quod in tua aula inter mediocres non fuissem. Verum quod magis elegi abiectus servire deo meo, quam in sublimitate positus regi obtemperare terreno. Largire eis qui eas cupiunt infulas antistitii. Michi autem satis solitarie laudare nomen domini. Neque hoc enim ideo magne rex dico ut execrandum sit, quibus convenit culmen non presularis officii, sed propterea dico sicut iam dixi superius: magis volo esse in domo dei abiectus, quam habitare in principum huius mundi domibus. Derelinquens igitur quod permittebat rex, scilicet totius terrene dignitatis fastigium, tamquam fidelis agricola seminando verbum devenit Aurelianum. Non longe autem foris eandem civitatem venerabilem virum nomine Maximinum invenit, cui aliquanto tempore adhesit. Cum perclaro quidem cenobita Maximino sanctus Leonardus demoraretur, cognovit per sancti spiritus revelationem se non ibidem amplius commaneri, sed versus Equitanicam potius proficisci regionem. Cuius rei misterium dignissimo fratri suo Lifardo qui fidus ei comes erat innotuit, et secum ducere eum voluit. Beatus autem Lifardus sancto Leonhardo respondit: Scis carissime frater si tue voluntati non haberer contrarium, hic super ripam Ligeris preparabo michi aliquem locum mee habitationis. Tu autem vade quocumque te duxerit dominus Ihesus Christus, qui tibi sit hic et ubique propitius. Et osculantes se mutuo divisi sunt ab alterutro. Lifardus vero ubi nunc requiescit petiit Madunum. Sanctus quoque Leonhardus versus Equitanicam convertit iter suum. Transiens autem per Bituricam diocesim, nullatenus timore passionis se occultabat, sed sicut miles egregius armis fidei accinctus, nomen domini viriliter predicabat. Erat enim in his partibus adhuc satis novella christianitas, quia non diu penitus cuncta erat per baptismum seva gentilitas. Itaque vir dei quantumcumque cum verbis et opibus poterat Christi nomen exaltabat. Fugabat quidem demonia, reddebat surdis auditum, cecis visum, claudis gressum, infirmantibus quoque universis ad se venientibus salutis prestabat auxilium.